

# CARMINA CATULLI

## LXXXV

Ōdī et amō. Quārē id faciam, fortasse requīris.

nescio, sed fierī sentiō et excrucior.

## XLIII

Salvē, nec minimō puella nāsō

nec bellō pede nec nigrīs ocellīs

nec longīs digitīs nec ōre siccō

nec sānē nimis ēlegante linguā.

5 Dēcoctōris amīca Fōrmiānī,

tēn prōvincia nārrat esse bellam?

Tēcum Lesbia nostra comparātur?

Ō saeculum īnsapiēns et īfacētum!

# V

Vivāmus, mea Lesbia, atque amēmus,

rūmōrēsque senum sevēriōrum

omnēs ūnius aestimēmus assis!

Solēs occidere et redīre possunt;

5 nōbīs cum semel occidit brevis lūx,

nox est perpetua ūna dormienda.

Dā mī bāsia mīlle, deinde centum,

dein mīlle altera, dein secunda centum,

deinde usque altera mīlle, deinde centum.

10 Dein, cum mīlia multa fēcerīmus,

conturbābimus illa, nē sciāmus,

aut nē quis malus invidēre possit,

cum tantum sciat esse bāsīōrum.

## VII

Quaeris, quot mihi bāsiātiōnēs

tuae, Lesbia, sint satis superque?

quam magnus numerus Libyssae harēnae

lēsarpiāferis iacet Cyrēnis

5     ōrāclum Iovis inter aestuōsī

et Battī veteris sacrum sepulcrum;

aut quam sīdera multa, cum tacet nox,

fūrtīvōs hominum vident amōrēs:

tam tē bāsia multa bāsiāre

10    vēsānō satis et super Catullō est,

quae nec pernumerāre cūriōsī

possint nec mala fascināre lingua.

## LXXXVI

Quīntia fōrmōsa est multīs. Mihi candida, longa,

recta est: haec ego sīc singula cōnfiteor.

Tōtum illud fōrmōsa negō: nam nūlla venustās,

nūlla in tam magnō est corpore mīca salis.

5 Lesbia fōrmōsa est, quae cum pulcherrima tōta est,

nūlla in tam magnō est corpore mīca salis.

## LXXXVII

Nūlla potest mulier tantum sē dīcere amātam

vērē, quantum ā mē Lesbia amāta mea est.

Nūlla fidēs ūllō fuit umquam foedere tanta,

quanta in amōre tuō ex parte reperta mea est.

## CVII

Sicui quid cupido optantique optigit umquam

insperanti, hoc est gratum animo proprie.

quare hoc est gratum nobis quoque, carius auro,

quod te restituis, Lesbia, mi cupido,

5 restituis cupido atque insperanti, ipsa refers te

nobis: o lucem candidiore nota!

quis me uno vivit felicior, aut magis hac rem

optandam in vita dicere quis poterit?

## CIX

Iūcundum, mea vīta, mihi prōpōnis amōrem

hunc nostrum inter nōs perpetuumque fore.

dī magnī, facite ut vērē prōmittere possit,

atque id sincērē dīcat et ex animō,

5 ut liceat nobis tōtā perducere vītā

aeternum hoc sānctae foedus amicitiae.

